



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XIX. Dunitia & obstinatio Judæorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

ÆRVNA XIX.

Duritia & obstinatio Iudæorum.

I.

*Iudæi semper dura
cordis.*

IN itineribus Domini fuerunt alia longè graviora, quàm labores viarum; inter quæ facilè præcipua fuit pertinacia Iudæorum, antiquum vitium gentis istius, quo plena est sacra Historia. Nam etsi Deus eam præ omnibus nationibus, elegerit in populum sibi peculiarem, ut coleretur ab ea; totamque rerum naturam in stuporem coniecisset miraculis maximis, quæ in gratiam ejus patravit; nunquam tamen potuit eam subigere, ut constanter sibi serviret. Deduxit eorum originem à stirpe sanctorum Patriarcharum; portavit eos in manibus suis, maximis beneficiis cumulavit; promisit eis Salvatore, omnia bona cæli ac terræ; misit ad eos multos Prophetas; severissimè castigavit peccantes: recepit in gratiam, eruit ab inimicis, liberalissimè providit eorum necessitatibus: & nullâ rerum istarum obtinuit, ut sibi parerent: semper ei rebelles, semper queruli, semper perfidi ac perjuri fuerunt, etiamsi promitterent obedientiam. Moysen ducem suum in deserto voluerunt lapidare: in oculis DEI, è medio ignis loquentis ad illos, fecerunt sibi vitulum aureum, quem coluerunt pro Deo. Occiderunt Prophetas, statuerunt idola in templo, adoraverunt deos gentium; denique semper fecerunt contrarium ei, quod Deus volebat. Estque ipsis tam propria & hereditaria hæc obstinatio ac duritia cordis, ut etiam in gravissima servitute, inter barbaros, licet evidenter convicti de suis erroribus è sacra Scriptura, non cedant; sed quæ de pertinacia sua dicuntur ab illa, sibi ducant honori. Est autem tanta eorum improbitas, & malitia, ut nulla natio similis illis reperiat in mundo; creduntque se etiamnum esse Deo chariores omnibus, tanquam filios Abrahæ; cum tamen sint venundati, ut faciant malum; & exuti omnibus bonis, solum Dei nomen retinentes, eum labiis honorent, cor autem eorum longè sit ab eo. Tot etiam errores habent contra legem suam, ac tam absurdis fabulis contaminant sacram Scripturam,

pturam, ut pudendum; & manifestè impletum sit vaticinium Isaia; *Isa. 29. 24.*
Peribit sapientia a sapientibus ejus, & intellectus prudentium ejus abs-
condetur. Sive, ut S. Paulus id refert: Perdam sapientiam sapien-
tium, & prudentiam prudentium reprobabo. Quo, ut Augustinus *2. Cor. 1. 19.*
 ait, quid aliud significavit divina providentia, nisi apud Judæos
 solas divinas litteras remansuras, quibus Gentes instruerentur, illi
 excæarentur. Summa, dum obligarentur lege Moyfi, non po-
 tuerunt adigi, ut eam servarent: nunc eâ liberati, retinent mordi-
 cus. Quo fiet, ut sicut noluerunt recipere Christum, recepturi sint
 Antichristum. *Serm. 2. de Epiphania.*

II. Cùm ergo, qui hodie sunt, eâdem omnino sint cervice,
 quâ fuerunt eorum majores, colligimus, quantum exercuerint man-
 suetudinem Christi: pro qua proinde nunquam satis grati esse pos-
 simus. Moyses ægerrimè sustinuit eos annis 40. licet esset mitissi-
 mus hominum: multis prophetis conatus eos emendandi vitam
 ademitt: cùmque nihil quidquam proficeret Deus cum eis, demum
 misit Unigenitum suum, uti promiserat, quem ipsi non tantùm
 rejecerunt, sed etiam interfecerunt crudelissimè. Cùm doctrina
 ejus, miracula & beneficia debuissent saxa convertere; vix 12. in-
 venit Apostolos cum aliis nonnullis discipulis, ac devotis mulieri-
 bus eum sequentibus. Si qui ex primariis eum agnoverunt, clam
 id habuerunt, præ metu cæterorum Principum ac Sacerdotum. Et,
 cùm viderent in ejus persona impletum, quidquid erat prædictum
 de Christo; clausurunt oculos, pessimè de ipso senserunt, insidias
 ei struxerunt, contradixerunt omnibus ejus dictis & factis; & cùm
 plurimis ab eo cumularentur beneficiis, nihil agnoverunt eorum.
 Etenim libenter acceperunt ab eo restitutos suos infirmos & mor-
 tuos: at postea consilia qua; fierunt eum perdendi. Cùm quondam
 in patria sua declararet eis locum Isaia; impletum in ipso, ejecerunt
 illum extra civitatem, & duxerunt illum usque ad supercilium
 montis, ut præcipitarent eum. Nolebant pati, ut miracula faceret
 Sabbato: proseripserunt eos, qui eum sequerentur. Denique nihil
 erat, quo non odium & obstinationem suam ostenderent. Videbat
 ac prodebat eis cogitationes ipsorum, in omnibus interrogationi-
 bus eos convincebat, quotidie confundebat eorum Principes coram
 populo; at ipsi quotidie magis indurabantur: qui tametsi admira-
 retur

retur ejus doctrinam & miracula, secutus tamen & ipse suos Principes, conjuravit in ejus interitum, & ultionem sanguinis ejus accepit super se, & super capita filiorum suorum. Semper defecit in fide, nunquam aperuit oculos ad lucem clarissimam: non evigilavit ad ingressum Magorum, attestantium de nativitate illius: non est lætatus nuncio pastorum: non observavit publicum testimonium S. Joannis Baptistæ, & vocis allapsæ de cælo in ejus baptismo: nec ad ejus præsentiam, doctrinam cælestem ac divinam, quam passim experiebatur in se, suis parentibus, liberis, vicinis, amicis, virtutem, cum sanaret eorum brachia, pedes, & alia membra infirma, veritatem agnovit: imò quidquid ageret, etsi demum petra scinderentur, terra tremere, sol obscuraretur, idololatra Centurio confiteretur esse Filium Dei, populus hic semper magis induruit, incredibili ac detestabili pertinacia.

Ex ea duritia magnus fuit IESU dolor.

III. Quantum autem Dominus hoc senserit, multis modis ostendit. Objecit eis Ninivitas, qui ad vocem Jonæ egerunt poenitentiam: Regnam Saba, quæ occurrit ad audiendam sapientiam Salomonis. Ostendit eos esse obstinatiores Sodoma & Gomorra, Tyro & Sidone, quæ ad talia signa, qualia ipsi videbant, utique se convertissent. Questus est dolens, quòd, cum sapius eos voluerit colligere, sicut gallina pullos sub alas, ipsi renuerint. Gravibus parabolis demonstravit eis suam duritiam, & propriis eos responsis convicit; quibus cum damnarent se ipsos, magis tamen indurabantur, omnem occasionem quærentes eum tollendi e medio. Inter applausus populi, dum intraret Jerosolymam, ipse deploravit excidium urbis, quod sua ei creatura erat duritia. Multum doluit, quòd verum DEI Filium respuentes, olim falsum Christum essent recepturi, in pœnam: ac talia sæpe cum dixerit, necesse est, non leviter senserit obstinationem eorum. Neque alia sensus ac doloris istius exaggeratione est opus, quàm quòd studio tam indefesso, desiderio tam ardente, modis omnibus quæsierit eorum salutem; sed omnia frustra. Nam si consideremus, quantum fuerit hic amor ac zelus, facile intelligemus, majorem fuisse dolorem, ac tormentum cordis tam benigni & amantis, quàm liceat assequi. Quem dolorem tanti fecit ipsemet, ut Apostolos exemplo

exemplo suo animandos putaret; ne, cum olim parum in illis duritiam essent reperturi, desponderent animum, sed suo se exemplo consolarentur, qui cum esset ipse filius Dei, nihilo promptiores inveniunt ad recipiendam suam caelestem doctrinam.

IV. Quam grave sit malum duritia cordis, è duobus præcipue constat. 1. Quòd illud tolerare non posset infinita bonitas Dei, nisi insolitâ & excessivâ pietate & amore. Nam ignoscere veniam petentibus, consuetum est ejus misericordiae: sed parcere iis, qui nihil pensi habent, qui que juvari non volunt, est altioris, & planè incomprehensibilis bonitatis. Quòd patuit apertissime, quando Moyses affectuosissime oravit veniam populo, qui vitulum pro Deo conflaverat, & multis gravibusque argumentis egit, ut Deus porro vellet ire cum ipsis: neque tamen plus obtinuit pro illa vice, quam quòd Deus promitteret, se illos non deleturum, ac pro se missurum cum eis Angelum; additâ hac causâ, quòd populus esset durae cervicis: unde si ipsemet comitaretur eum, fieri non posset, quin accenso aliquando furore suo omnes disperderet, propter eorum contumaciam. Deinde, cum idem pro signo gratiae petiisset ostendi sibi faciem Domini, atque hic promisisset se ostensurum ei, quantum satis esset, ad cognoscendum se esse in gratia; audivit sonum juxta se transcuntis cum his verbis: *Dominator Dominus: Exod. 34. 6.*
DEVS misericors & clemens, patiens, & multae miserationis ac verax, qui custodit misericordiam in millia: qui auferit iniquitatem & scelera atque peccata, nullusque apud te per se innocens est: qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem. Accepit hinc argumentum Moyses, quo Deum permovit, ut denique comitaretur populum. Etenim agebat Moyses, quia populus est tam durae cervicis, neque ego, neque ullus Angelus poterit eum sustinere: opus est ergo praesentia tui ipsius, cuius tanta est bonitas, ut non punias peccata ultra quartam generationem, & misericordiam tuam extendas ad mille, imò millia; adeoque proprium tibi sit, invenire modos parcendi & juvandi ultra consuetudinem, & supra omnem rationem & ordinem. 2. Quòd, cum Christus esset perfectissimum exemplum omnis virtutis, tamen omnem doctrinam suam ad hoc restrinxerit, ut ab se discamus

mansuetudinem & humilitatem cordis, tanquam radicem ac dispositionem omnis divinæ lucis, virtutis & gratiæ; directè oppositam alteri extremo, quæ est duritia cordis, abominabile malum. Cur enim homo est durus erga DEUM? in quo confidit? quo nititur? quis est ipse? quæ substantia eius? vas plenum miseriis & luto. Et cur Dei Filius ita te submittit, ut sufferat nostram contumaciam, & cohibeat suam Majestatem, ne reducat nos in pulverem, qui audemus Creatori nostro resistere? Atqui Deus è nostra superbia sumit occasionem ostendendi suam bonitatem: demittit suam Majestatem, moderatur potentiam, constituit magistrum mansuetudinis & humilitatis, ut confundat extremam superbiam cordis humani rebellis, & obstinati contra Deum suum. Videns hoc Apostolus, miratur incredibilem nostram duritiam, ac dicit:

Rom. 2. *Ignoras, quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam thesaurizas tibi iram.*
vers. 4.

V. Nullum est vitium ita contrarium naturæ humanæ, quæ mutari ac transferri potest è malo in bonum, & ratione gubernari. Angelis non datum est remedium peccati, quia sunt naturâ suâ immutabiles ab eo, quod semel elegerint: neque verò erat, cur eis daretur spatium melius cognoscendi, quod ad eligendum esset necesse, cum omnia clarissimè perspexerunt initio. At homo propter consortium corporis, non omnia plenè cognoscit initio, sed indiget tempore ad res meliùs considerandas: unde potest, ut, quod semel malè statuit, possit corrigere. Cum ergo assumit cordis duritiam, similem se diabolo constituit, contra suam naturam. Inter mala damnatorum præcipua est perpetua obstinatio in malo, ut videntes illud non possint abhorreere, & sic ament peccata, quasi haberent naturam diaboli: ad cuius societatem merito damnati sunt, contra suam naturam, quia contra eandem in vita sua noluerunt mutare voluntatem in melius. Radix huius mali est, quòd homo sit addictus proprio iudicio & voluntati: cuius vitii sæpe tam exigua ratio habetur, ut nonnunquam etiam reputetur pro virtute & sapientia: at si non corrigatur maturè, sic tandem facit inniti suo iudicio, etiam quando errat, ac si esset certissimum: quæ est qualitas damnatorum simillima.

Angeli sua natura sunt immutabiles.

Obstinati in malo accedunt ad naturam diaboli.

VI. Hinc

Gradus duritiae cordis. licentia peccandi.

VI. Hinc oriuntur paulatim diversa genera duritiæ cordis, donec tandem veniatur ad obstinationem infernalem. Primò ex usu sequendi suum iudicium fit, ut paulatim minùs obediatur legi divinæ, & permittatur voluntati licentia peccandi, quamvis nondum cum obstinatione in illis: sed frequentatio lapsuum, & exigua vel frigida cura emendationis facit, ut cupiat quidem homo aliquando resurgere: non tamen inveniat in se modum dolendi de commissis, quantumvis ea agnoscat ac desideret detestari. Istis adhuc multa remedia suppetunt: ego efficacissimum puto, se humiliare coram Crucifixo, quantum possunt; & sine omni confidentia propria, supplicare illi, ut virtutem sui calidi sanguinis in ipsis dignetur ostendere. Fuit, qui oblitus peccatis, cum ab iis recedere cuperet, nec posset, ut oportebat, dolere de ipsis, præ mœrore domo exivit, incertus quò tenderet, reperiundi solatii causa. Cum obviavit ei ad januam egenus omnino miserabilis: recordatus, Dominum dixisse, quod suis fiat, sibi met factum id reputaturum, iterum ingressus domum attulit ei stipem, & flexis coram eo genibus, detecto capite, cogitans se esse coram Christo, quâ potuit humilitate dixit in corde suo: Domine Jesu Christe! tu es in hoc paupere: si possem, darem tibi cor meum; sed est tam durum, ut non possim dare, neque tu acceptares: accipe interim hunc panem, quem nunc dare possum: de corde meo factum, quod lubet. Tanta fuit vis huius humilitatis, ut priùs quàm surgeret, subito diffluerit lacrimis corde tenerissimo, & magnis postea gratiis fuerit à Deo donatus.

VII. Qui non sanatur in hac prima duritia, Secundò paulatim non curat ampliùs; sed delectat eum peccare, & vivere in ea cloaca, unde non cupit exire. Agnoscit malum, sed non habet animum, nec fervorem ut doleat, vel resistat; & magis gustu peccandi rapi se sinit, quàm cognitione suæ miseriæ. Hi quia sunt in periculo callum durissimum obducendi conscientiæ, indigent crebro usu Sacramentorum, ut sæpe renovatâ gratiâ robur ad resistendum acquirant, & ut obediant prudenti Confessario, qui applicet opportuna remedia suis tentationibus, inclinationibus, & motivis peccandi. Quod malum, nisi curetur cum diligentia, pau-

Secundus gradus, delectari peccato.

*Tertius
gradus, re-
prehensio
& monita
sperrere.*

latius vergit in omnimodam duritiam cordis, quâ nihil amplius curatur, neque admittuntur ulla remedia, Tertio tandem eò usque venit, ut neque consilia tolerantur, neque reprehensio: imò ut etiam pudeat emendare, de quibus sunt moniti: quæque si agnoscerent aut se reflecterent, ultro essent facturi, nunc solum eo ipso non faciunt, quòd sint moniti vel reprehensi. Reprehensionem accipiunt pro injuria, consilium pro coactione ac violentia, ac citius perdunt omnem timorem DEI, quàm respectum humanum. Hi nisi maturè mutant conditionem, struunt murum inter Deum ac se, ac demum assuetudine mali sic indurantur, ut quidquid eis boni offertur, cedat in majus damnum eorum, quàm incurserint peccatis ante commissis: nam ex omni bono deteriores evadunt. Talis fuit Pharaò, eò quotidie durior, quòd plura vidit miracula: tales Iudæi, de quibus Isaias, quòd videntes non viderint, fuerintque tam cæci, ut non permiserint se sanari, divinis monitis ac beneficiis peiores effecti. Utinam cum eis cessarit hæc duritia, & non etiam hodièque inveniatur in Christianis: quam etsi Christus in celo non sentiat, habuit tamen jam tum præsentem, cum visaretur in terra, multòque magis sensit, quàm ipsorum Iudæorum. Cum autem Deus illos deserit, ac sinit peccare pro libito, jam hoc est initium ejus derelictionis, quæ apud inferos erit. Hæc duritia Filium Dei cruci affixit: hæc semper est persecuta Ecclesiam: hæc hæreses invenit, & corrumpit tot animas; hæc sparsit tot errores contra fidem & legem Dei: hæc est mater damnationis, & animas parit inferno. Et quia Christus ipse non potuit flectere duritiam Judæorum, timeat sibi meritò, quisquis sine Christo vivit, obstinatus inter brachia diaboli.

E X E R C I T I U M

Contra Duritiam Cordis.

I.

Mitis & humillime Jesu, fili Dei vivi, Domine & magister animæ meæ, & pie Medicator omnium malorum meorum! tu non es minus potens ad curanda vulnera mea, quàm patiens ad toleranda; quia toleras ea, ut sanes. oro, ne sinas ea putrescere

scere, tantumque augeri, ut me denique totum separent à te, Vita mea salutaris, ac salus vitalis & æterna! Tu scis, quòd habeam causas timendi, & semper implorandi misericordiam tuam: quia in me ipso nascuntur pericula te amittendi, in quibus versor semper, ac servor sola tua virtute. Tu dixisti, bonum proferre bona de thesauro cordis sui, malum verò mala. Et quis est bonus, nisi tu? quis malus, nisi ego? Ex meo corde oriuntur mala, quæ vides ac suffers: affectiones, quæ à te abducunt; surditas, qua te non audio; duritia, quâ non obedio; tepiditas, qua res tuas non gusto, ut merentur; negligentia in tuo servitio; & quidquid in me vides & improbas. Non alium fontem habet mea perditio, quàm cor meum: atque utinam fons esset, qui omne malum effunderet ac tandem purus & limpidus fieret! at nunc est talis, ut longè plus scaturiat semper mali, quàm effundat; atque ita semper est, quod purgetur; quidquid autem mali non habet, aut non emittit, hoc, Deus meus, à tuo beneficio est. Nam ut primùm à te recedo, sum obnoxius omni malo, & omni bono indignus. Nam cum feceris me tam capacem, quanta sunt bona tua; cum his sum vacuus, quid mali non habet locum in me? O Salus æterna juva me, juva me: quia, cum non possim verè cogitare, me semper fuisse tecum, in quanta malorum abyssu sine te fui? Abyssus miseriæ meæ à sola misericordiæ tuæ abyssu potest curari; tu solus eximere potes venenum, quod intravit in cor meum.

II. O mi Creator! qui me formasti ex eadem massa, qua ceteros peccatores: ego sum, qui ceteris plus pecco; aut si minus, tibi soli hoc debeo. Erant Judæi quondam & nunc sunt filii Adæ, pleni tuis promissionibus, favoribus, donis. Vixisti inter eos, docuisti res divinas, opera mira patrasti, ostendisti in tua humanitate perfectionem omnis virtutis, demonstrasti adimpletas in te omnes prophetias; neque tamen ipsi te cognoverunt. Splendebas inter eos, Lux æterna, & ipsi magis excæcabantur; detegebas eis sua peccata, & ipsi non agnoscebant: deliniebas eos tua mansuetudine, & ipsi exasperabantur: conabar penetrare corda eorum, at ipsi magis ea obturabant: ingressus eorum domos, amantissimè colloquebaris, & virtute divina levabas necessitates eorum, at ipsi

*Cor est fons
malorum
nostrorum.*

Magna dū-
ritia lud. e-
rum,

ipsi te nolebant agnoscere, sed potius avertabantur lucem tuam, veritatem, opera, vitam, personam tuam; ac sua mala præ tuis bonis malebant. Tu deplorabas eorum interitum, sed hoc ipsi gaudebant; conabar inde eos eripere, at eum arctius ipsi complectebantur: & præ amore peccatorum suorum, execrabantur te, qui es vera salus, & verus medicus. Quomodo, bone Jesu! plus possunt tenebræ, quàm lux tua? quomodo crescunt illæ, & tu dolens laboras in vanum? Nec bonis, quæ conferebas, nec peccatis, quæ ipsis monstrabas; nec pœnis æternis, quas minabaris; & quod plus est, nec suavissimâ ac divinissimâ præsentia & conversatione tua potuisti vincere illorum duritiam. Quid hoc est rei, mi Jesu? imminuta est fortitudo tua? siccatus fons aquæ vivæ, apud hanc gentem? moreris pro illa, & ipsi lavant manus in sanguine tuo, neque tamen mollescunt, sed ipsi & omnes posteri manent in sua obstinatione: semper te invocant, precantur, laudant, confitentur Deum suum, semper legunt verba tua in divinis Scripturis, & semper manent obstinati, sine luce, sine te, sine corde humano, cum corde diabolico, & infernali duritia. O mi Domine! quomodo non timebo mihi ipsi, hæc videns?

III. Nemo eos coëgit, nemo excacavit, nemo induravit, nisi id quod habebant intra se. Infernus te agnovit, dæmones tremuerunt, mors obediit, elementa & bruta subjecta fuerunt tuæ voluntati, cælum tuo imperio patuit latroni, cum justis clausum fuisset; & humana corda, quæ creâsti propter te, quæque sunt propria tua habitacula, & quorum felicitas tu es, te non cognoscunt, non audiunt, non volunt, neque recipiunt. Quid me fiet Deus meus, si deserat me gratia tua, & possideat mea malitia? O quoties fui secutus hanc internam duritiam! & quod ex ea mihi deest, à tuo beneficio est. Vix natum replêsti me gratiâ: & quoties me vocâsti, quoties instigâsti, ut tibi servirem? quot ærumnas & pericula mihi ostendisti, ut redirem ad te? quot peccata remisisti? quomodo me tolerâsti? quot veritates mihi aperuisti? quot perpetuò dona dedisti mihi, præparâsti, & obtulisti? At ubi sum, Domine? quomodo tam miser coram te compareo? Ubique mecum es, & ego te non audio. Confiteor tibi meam culpam

culpam, nec tamen emendo: recipio tuum sacratissimum Corpus, & te intra me habeo, neque tamen te audio, amo, invenio. O mi ^{sed mea non} bone JESU! nunquid mea duritia est peior, quàm Judæorum, & ^{minor.} ego propter eam tibi magis displiceo? Illi te non credebant, ego credo; illi te non recipiebant, ego te manduco: & nihilominus vivo in meis peccatis; non exeo ex meis imperfectionibus; maneo in meis ulceribus, & ea fortè plùs amo, quàm te, Deus meus! Nam si verè odissem, liber essem ab eis. Domine mi, Domine mi! ^{Oratio} succurre mihi tuà misericordià, emolli hanc meam duritiam, ne ^{efficax contra} progrediatur & separet me à tua præsèntia. ^{tra duritiã} Conjice oculos tuos ^{cordis.} in hunc peccatorem, opus bonitatis tuæ, & sanguine tuo pretioso redemptum; & cùm petræ comminuantur igne, tu igne amoris tui confringe duram hanc animam.

IV. Non potes dicere, Domine, te velle, sed non posse. Dura fuit peccatrix; sed stantem ad pedes tuos emollivisti, & recepisti in amicitiam. Quid minus habent nunc pedes tui, quàm tunc? ego eos reperio apertos clavis, & quomodo mihi non exit virtus ab illis? si illa id consecuta est lacrimis, quibus eos abluit; ego quidem lacrimas non habeo, sed tu largitor omnis boni, potes & mihi dare uberem fletum, quo præparer ad alia, quæ mihi cupis largiri. Cor illius ad te clamabat, quantum poterat; clamat & meum, voce quidem dura & sicca; sed tu non ideo es minus bonus, quàm tunc eras. Ah mi JESU! noli indurari mihi, qui cupio pro te liquefcere. S. Petrus tam erat obstinatus in tuâ negatione, ut, nisi tu eum respexisses, etiamnum perseveraret in ea; sed unico motu oculi tui emollitus, & conversus est. Quis oculis iisdem ademit virtutem emolliendi & me? Respice, Domine, hunc pauperulum simili misericordia. Tu, JESU, potes omnia. Quanta cum duritia Latro ascendit in Crucem, qui & in totâ vitâ te offenderat, & in ipsa cruce te blasphemabat? Potuit CRUX tua subito emollire illum, & facere tibi Socium Paradisi; & ego solus non experiar virtutem ejus, quæ omnia trahit ad se? Memento mei Domine, Paradisus bonorum omnium. Quòd si ego sum peior hoc latrone, tu tantò es melior. Non expectasti Paulum, donec te rogaret, quando sæviebat maximè in tuos fideles,

H. h.

ut

ut omnes necaret, tu solo nomine illum prostravisti, emollivisti, in vas electionis convertisti, plenum tua virtute, & pro toto mundo abundans. Subito clamavit, non se jam vivere, sed te in ipso; subito sic amavit, ut securus esset, nulla re mundi se posse à tua charitate sejungi. Ergo quanta possum humilitate clamum cum illo: Domine, quid me vis facere? Notam fac mihi voluntatem tuam, deduc me semper in tua custodia, & fac me semper esse sub tua suavissima ac benignissima manu.

*JESVS
est semper
suavis, placidus,
facilis.*

V. Ah JESU bone! quis me juvabit, ut petam à te hanc teneritudinem cordis, quam desidero, si ego induro me ipsum, surdus ac durus ad omnia, quæ mihi expediunt? quando te durum inveniam, nisi cum cesso me tibi conjungere? & quando tibi jungar, si te non inveniam placidum ac facilem, quaiem optare me facis? Tuæ, Domine, virtutis est, finem huic contentioni imponere; quia miseria mea me trahit semper in pejus. De eo, quod in te semper inveni, queri non possum; sed bene gratias agere infinitas, quod, cum aliquando venissem ad te peccatis onustus, durus ac timidus, recesserim releyatus, & verè suavem expertus misericordiam tuam. Imò ad meam confusionem plus confitebor tibi, felicitas & gaudium meum, optime JESU! Si quando oblitus malorum meorum me permisisti amplecti suavissimos pedes tuos, & rudes voces audisti ex meo misero corde prolatas, quibus peterem tuum amorem; num te, Deus meus, durum ac furdum inveni? semper vidi te meæ improbitatis immemorem: loquebaris mecum sine voce: sinebas me tecum agere, quasi cum æquali: ardebat cor meum tui amore; & quidquid tibi placeret, grave mihi non erat: deplorabam horas, quibus te non amavi; desiderabam tui amore consumi; oderam, quidquid me separabat à te, & ab eo, quod de te me faciebas sentire: tu nôsti, quæ me sine voce humana docebas. Et ego scio, quod, quidquid est in hac vita, respectu eorum sit nihil. Cum autem reversus ad meas misérias, quæ tuum suavem gustum impediunt, me gravatum sentirem, ac propterea redirem ad te, nullam in te mutationem inveni; sed semper suavem, semper placidum, semper humanum, semper eundem, & semper amicum animæ meæ

meæ fidissimum. Quid ergo, bone Iesu! actum est eo gustu? ubi eum amisi? Etiam quando pro meo bono mihi abscondebas faciem tuam suavissimam, ac dabas mihi spiritum alta voce te invocandi & requirendi, mox redibat splendor, ac subito desinebam essem, qui eram; & oblitus exilii mei & miseriæ, adiungebar tibi, cum desiderio non amplius recedendi à te. Quis ergo me sejunxit? ubi tantum bonum amisi? quomodo rursus indurui? Nonne pejus ^{pejus est,} est, mi Domine, rursus indurari post cognitam tuam bonitatem, ^{indurari} quàm si eam nunquam gustâssem? O mi Redemptor, propterea im- ^{post degu-} ploro misericordiam tuam, quia sum talis, qualem me vides. Noli, ^{stam bo-} Deus meus, me separare à te: noli permittere, ut ex mea voluntate ^{nitatem} coram tanta luce excæcer, ne fortè in hac duritia mea obdormiam, ^{Dei, quàm} & acquiescam. Et quandoquidem non mereor illum gustum, ^{nunquam} quem toties meâ culpâ perdidit; saltem non denega mihi per bo- ^{gustâsse.} nitatem tuam, ut semper agnoscam ac videam necessitatem meam, quâ indigeo tui, & cum inclinationibus meis pravis configam. Da mihi, Domine, vires validè tundendi semper hoc ferrum & hoc saxum cordis mei, ut in me vivat saltem desiderium ejus, quod perdidit, & odium malorum, quæ incurri.

VI. Liberalissime, ditissime, potentissime, suavissime Iesu! da mihi tuum amorem, & sic insige in cor meum, ut verè possim dicere: Quis nos separabit à charitate Christi? quid est, quod mereatur cor meum, & possit illud subire pro tuo amore? cum pro amico, re terrenâ, vel voluptate corporis te perdo, quid lucror? si ad fugiendos labores perdam tuum amorem, statim in alios amores abripior, qui me consumunt: si propter amicos, tandem infideles experior: si levandi tædii, vel recreandi corporis causâ, in fine me inquietum & mœstum invenio: si ex tepiditate, negligentia, & frigore spiritûs, in mille tentationes incurro: quacunque causâ perdo tuum amorem, remaneo spoliatus tuis beneficiis, languidus in tuo servitio, & pronior ad explendas meas malas inclinationes, quàm ad curandas. O Deus meus! quis me separabit à tuo amore, à tua conversatione? Si bonas horas, quas perdo in rebus, quæ suavem tuam communicationem impediunt, & quod in illis facio, & quàm vilia sint ea, quibus occupatur cor meum,

comparo cum suavissimis & maximis thesauris, quibus tunc non gaudeo, imò quos fugio; cheu, quàm pauper sum! super hæc omnia (qui summus est gradus miseræ) cum hæc videam & intelligam, nescio quid me teneat, quod pondus ac tœdium sit, quo impedior, ne curram ad gustandam suavitatem deliciarum tuarum. Ah Domine, nulla res me avellat à tuo amore! & quia subjectio, mansuetudo, humilitas est, quâ debeo deduci ad te, & ad perfectam curationem plagarum mearum; ecce me, Domine, ad pedes tuos! humilia me; fac ut mihi ipsi dissidens, timeam id, quòd à te separatur; ut tibi, cui debeo totum, quod sum & spero, debeam etiam curam miseriarum mearum. Quando videbo te, Domine, possessorem & pacificum inhabitatorem cordis mei? ô bone JESU, usque eò sum miserabilis, nec video, quòd ruam ad interitum nec scio te rogare, ut me liberet à me ipso. Tu, qui non indiges instrui, cum optimè videas omnia, fac pro tuo libitù mirabilia tua in hac terra plena miseræ.

O Domina Angelorum, advocata peccatorum, agna sine macula, dulce habitaculum Jesu, pia mediatrix durorum & obstinatorum! Dominus te mihi dedit, ut impetrem per te, quod ipse non mereor; quandoquidem vides, quanta mala proveniant ex cordis mei durtia, fac, Domina, descendere à fonte misericordiæ, quem tu peperisti, aquam vivam, quæ semper proluat & emolliat hanc durtiam.

O ditissimi incolæ domûs Regis æterni, natantes in dulcedine Agni! cum toti diffuatis amore Dei, nolite pati, ut ego sim tam durus. Pluite super me, quod vobis redundat: rigate hanc aridam, ut vestra demum possim societate gaudere. Amen.

Æ R V M N A X X.

Sinistra Iudicia de Actionibus Domini.

I.

*Durtia
fructus, sin-
istra judi-
cia.*



Durtia Judæorum talia fecit in eorum animis, ut admirandum sit, quomodo bonitas Christi potuerit ea velle sufferre. Eorum unum fuit, quòd semper malè